



Disputatio juridica de transactionibus

<https://hdl.handle.net/1874/341244>

DISPUTATIO JURIDICA
DE
TRANSACTIONIBUS.

QVAM
FAVENTE SUMMO NUMINE
SUB PRÆSIDIO
CLARISSIMI VIRI

D. D. HENRICI MOREELSE,
J. U. D. ejusdemque facultatis in Illustri Academiâ
Ultrajectinâ Professoris Ordinarii.

Publicè defendere studeat
JOANNES à ZUYLEN, Ultraject.
Ad diem 10. Martij, horis locoque solitis;



TRAJECTI AD RHENUM,
TYPIS Gisberti à Zijll, & Theodori ab Ackersdijck,
CL. 10. C. LII.

Viro Honestissimo
D. JOANNI à ZUYLEN,
Commendatori in Oudewater,
Patruo meo.

NEC NON

Viris Magnificentiss: & Ampliss:

D. D. ARNOLDO à CU-
LEMBURCH, Eccles: S. Jo-
annis Canonico & inter Illust:
& Præpot: D. D. Ordin: Ultraj:
Deputato Ordinario, Cognato
meo.

Tutoribus
meis plurimum
colendis, vene-
randis.

D. D. THEODORO VANDER LEE,
Urbis Delphenfis Senatori & Scabino &
Magnæ Piscaturæ Marinae quæstori dignif-
simo, Patruï loco colendo venerando.

*Hoc exercitium Iuridicum in grati animi
signum,*

Offero & Inscribo

JOANNES à ZUYLEN,

Auth. & Respond.

DISPUTATIO JURIDICA

D E

TRANSACTIONIBUS.

T H E S I S I.

TRansactio est conventio seu pactum per quod inter aliquos controversia finitur aliquo invicem dato, retento vel promisso *l. transactum 2. l. pacto 15. ff. de transact. l. si de certa 31. l. transactio 38. Cod. eod. l. si instituta 27. ff. de inoffic. testam. Perez. in Cod. de transact. num. 1. Tuld. com. in Cod. de transact. num. 1. Errant qui dixere esse contractum Cujac. in parat. & 11. obs. 17.*

II.

Omnes transigere possunt qui sunt domini, & liberam rerum administrationem habent, modo sint sanæ mentis *l. sanum 27. Cod. de transact. adde l. in eo 2. ff. & l. senium 3. Cod. qui testam. fac. poss. Zoes. comm. in ff. ad h. t. num. 2.*

III.

Alieno nomine transigunt tutores vel curatores dum jura minorum sunt obscura, atque dubia & quatenus jus liquidum remittitur, cum jus administrandi, non perendi iis sit concessum. Idem in Syndico, & administratore rerum civitatis *l. preses 12. Cod. h. t. l. pactum 22. Cod. de pact. l. Lucius 46. §. ult. ff. de admin. tut. l. interdum 56. §. pen. ff. de furt. l. non omni 16. Cod. de admin. tut. l. magistratus. 6. ff. de admin. rer. ad civit. pertin. Perez. in Cod. ad h. t. num. 4. Zoes. in ff. com. ad h. t. num. 5.*

IV.

Procurator non transigit, nisi speciale mandatum habeat,
A 2 aut

aut in rem suam sit procurator, vel omnium bonorum habeat administrationem *l. transactionis 7. Cod. h. t. l. nam & nocere 12. & l. seq. ff. de pact. l. iusjurandum 17. §. ult. & l. seqq. ff. de iurejur.* Et hoc ipsi permittitur intelligitur quotiens domini utilitas id exigit *arg. l. mandato 60. l. procurator totorum 63. ff. de procurat. l. creditor. 60. §. Lacius ff. mand. Cujac. in l. 10. de pact.*

V.

De qualibet re non licet transigere sed de ea quæ dubia est propter litem *l. qui transigit. 1. ff. l. cum nota 6. l. cum proponat 17. Cod. h. t. nec opus est litem existere, sed sufficit metus litis futurae l. cum te 2. l. de fideicommissio 11. l. nec intentio 23. Cod. h. t. l. in summa. 65. §. 1. ff. de cond. indeb. Post rem judicatam & litem iurejurando decisam frustra transigitur l. si causa 32. Cod. h. t.*

VI.

Quid si provocatum sit, aut provocare quis potuerit, aut negetur juratum vel judicatum esse, non frustraneum est transactionis remedium *l. & post rem 7. l. post rem 11. ff. h. t. l. si causa 32. Cod. eod. l. eleganter 23. §. pen. ff. de cond. indeb.*

VII.

De re universali licet transigere veluti de fideicommissio inter fratres relicto *l. de fideicommissio 11. Cod. h. t. De hæreditate l. cum te proponas 2. Cod. eod. item de quærela inofficiosi testamenti l. cum nota 6. Cod. h. t. Deque administratione tutelæ & actione inde oriente l. cum age 3. l. actione 4. l. cum te 5. Cod. h. t.*

VIII. De

VIII.

De controversiis quæ ex testamento nascuntur transigere non licet, nisi inspectis verbis testamenti *l. de his 6. ff. h. t. l. omnibus 1. ff. testam. quem. aper. Perez. in Cod. h. t. num. 8. Zoef. com. in ff. ad h. t. num. 20. VVesemb. in parat. num. 5. Fab. in Cod. lib. 2. h. t. definit. 1. Diss. Cujac. ad l. 1. h. t. & 3. obs. 37.*

IX.

De alimentis quæ ex testamento proficiuntur transigere non licet sine decreto prætoris, scilicet de futuris, de præteritis licet *l. cum si 8. ff. l. de alimentis 8. Cod. h. t. Perez. in Cod. ad h. t. num. 8. VVesemb. in parat. num. 5.* De alimentis ex contractu recte absque decreto transigitur. *dict. l. cum si. s. ratio Cujac. in comment. ad hanc leg. Fach. contr. lib. 3. cap. 21.*

X.

De criminibus capitalibus, non quidem futuris, ne detur occasio delinquendi sed jam admissis tam ante, quam post institutam accusationem transigere licet *l. transigere 18. C. h. t. & argumento l. cum te 2. Cod. eod. l. in capitalibus 1. ff. de bon. eor. qui aut sent. mort. sub. consci. Donell. ad d. l. 18. num. 20. Cujac. 6. obs. 11. Bronch. cent. 1. assert. 43. VVesemb. in parat. nu. 5. Fach. contr. lib. 1. cap. 8.*

XI.

Transigere de adulterio non licet *l. transigere 18. Cod. h. t. l. mater. 10. l. is cuius. 14. ff. ad leg. Jul. de adult. Cujac. 6. obs. 11. & 19. obs. 39. & 20. obs. 19. Bronch. cent. 1. assert. 43. Perez. in Cod. ad h. t. nym. 10. Tuld. comment. in Cod. ad h. t. num. 5.*

A 300 non minus Zoef.

Zoef. comment. in ff. ad h. t. num. 31. Vvesemb. in parat. num. 5.
Fach. contr. lib. 1. cap. 8.

XII.

De criminibus non capitalibus tam ante quam post institutam accusationem transigere non licet. *d. l. 18. argumento, siquidem 9. Cod. de contr. & comitt. stipul. l. in fisci 4. ff. de jur. fisci. junct. l. ex lege 2. §. 2. si mariti 28. §. 2. ff. ad leg. Jul. de adult. Cujac. 6. obs. 11. Perez. ad h. t. num. 11. Zoef. ad h. t. num. 43. Fach. contr. lib. 1. cap. 9.*

XIII.

Excipitur crimen falsi à criminibus non capitalibus *d. l. 18. & propter expressum tenum l. ipso significas. 7. Cod. ad leg. Cor. de fals. l. polla 2. Cod. de his qui ut indig. aufert. l. si ex falsis pen. Cod. h. t. Cujac. 6. obs. 11. 19. obs. 39. Bronch. cent. 1. assert. 43. Zoef. ad h. t. num. 44. Perez. ad h. t. numer. 12. Fach. controvers. lib. 1. cap. 9.*

XIV.

De privatis delictis licet transigere dum civiliter excercentur, imo specialiter lex XII. tab. permittit. *l. jurisgentium 7. §. 13. & 14. ff. de pact. l. si decem 17. §. 1. ff. eod. l. si profure 7. ff. de cond. furt. l. post. decisionem 13. Cod. de furt. l. interdum 56. §. 4. eod. Cujac. 10. obs. 11. Si extra ordinem criminaliter recurrendum est, ad *d. l. 18.**

XV.

Vis & effectus transactionis est, rebus dubiis & litibus incertis finem imponere, & tantam habet vim, quam res judicata *l. non minorem 20. Cod. h. t. neque tamen per se sola actionem*

nem parit neque tollit *l. age cum 3. l. actione 4. l. cum te 5. l. ut responsum 15. Cod. h. t.* Si pœnalis stipulatio adjecta fuit pœna ex stipulatu peti potest *l. pact. 15. & l. seq. ff. h. t. l. promissis 37. l. ubi pactum 40. C. eod. l. rescriptum 10. §. si pacto ff. de pact. & potest ei condici qui placitis fidem non præstat. l. 1. §. ult. ff. d. cond. caus. dat.*

XVI.

Si transactionis placita non servantur veteri actione agi potest si aquiliana stipulatio subjecta non fuerit, *l. pacto contento & seqq. ff. h. t. l. si apud acta. 28. Cod. eod. l. 27. pr. ff. de inoffi. testam. nec potest quis regulariter & transactionis commodo frui & pœnam ex stipulatu petere l. cum proponas 17. l. ubi pactum 40. Cod. h. t. l. pradia 28. de act. empt. l. rescriptum 10. ff. de pact. l. si pater 12. ff. de pact. dotal. l. si post moram ult. ff. de eo quod cert. loc.*

XVII.

Pœna in *l. 41. C. h. t.* constituta majoribus contra pacta, vel transactiones juramento sancitas venientibus, in transactionibus tantum non etiam in aliis contractibus obtinet *Perez. in Cod. lib. 2. ad h. t. num. 23. Fach. contr. lib. 1. cap. 11. & lib. 12. cap. 47.*


XVIII.

Transactio rescinditur ob justum metum *l. interpositas 13. Cod. h. t.* Ob dolum malum *l. actione 4. l. sub pratextu 19. Cod. h. t. neque l. 2. Cod. de rescind. vend. in transactione locum habet l. Lacijs 78. §. ult. ff. ad ICtum. Trebell. l. cum te 2. C. h. t. l. in summa 65. §. 1. ff. de cond. indeb. Perez. in Cod. lib. 14. ad tit. de rescind. vend. nu. 14. Bronch. cent. 2. assert. 58.*

XIX. Nec

Nec rescinditur transactio ob nova instrumenta postea re-
 perta *l. Lacius 78. s. ult. ff. ad IG^{num}. Trebell. l. sub pretextu 19.*
Cod. h. r. Si vero ex falsis instrumentis facta sit, rescinditur *l.*
si ex falsis pen. Cod. h. r. Quæritur an ipso jure, an officio Judicis
 Verius est ipso jure *l. 1. & tot. tit. C. si ex fals. adstr. judicat sit.*
l. si prator 75. ff. de jud. l. qui agnitis 11. ff. de except.

F I N I S.



XVII